

Ubi tria cum primis sunt notanda: (1) *In quibus casibus sit pœna exasperanda*; nempe, si quis in personis, quibus reverentia, & respectus: vel etiam, quibus fides conjugalis debetur, aut inter quas necessitudo sanguinis intercedit: ut si aliquis dominum suum: vel maritus uxorem, vel vice versa uxor maritum interficit, vel inter cognatos proximos homicidium perpetratur, tum exasperatio pœnæ merito locum invenit. (2) *Modus exasperandi pœnam*, qui consistit in duobus, scilicet ut ante executionem ultimi supplicii corpus condemnati forcipibus ignitis laceretur: vel etiam condemnatus trahæ impositus ad locum supplicii raptetur, quod posterius non vult libenter admittere Zieriz. *ad h. artic. p. 124.* ob periculum deficientis solatii Evangelici, quod tamen Imperator ejusmodi condemnatis non denegat, *artic. 102.* quamvis illa ratio non videatur fringere, cum ante educationem ad supplicium Sacerdotes suo officio jam tum satisfecisse videantur. (3) *Finis*, qui est metus peccandi, ne alii similia delicta committant, sed metu tam horrendæ pœnæ deterriti ejusmodi crimina non peragant: quin potius ut ipsi à talibus maleficiis pœnæ acerbitate alios dehortentur.

ARTIC. CXXXVIII.

De manifestis homicidiis, quæ jure facta, pœnâ eximunt reum.

Von unläugbarn Todtschlägen / die aus solcher Ursachen geschehen / so Entschuldigung der Straff auf ihnen tragen.

So geschehen ie zu Zeiten Entleibungen/und werden doch diejenigen/ so solche Entleibung thun/ aus guten Ursachen/ als etliche allein von peinlicher und Bürgerlichen Straff entschuldiget. Und damit sich aber Richter und Urtheiler an den peinlichen Gerichten / die die Rechte nicht gelernet haben/ in solchen Fällen desto rechtmäßiger zu halten wissen/ und durch Unwissenheit die Leut nicht beschweren / oder verkürzen: So ist von gemeldten entschuldigten Entleibungen geschrieben und gesetzt / wie hernach folget.

AD